

- aut cum terribili percussus fulmine civis
luce serenanti vitalia lumina liquit;
aut cum se gravido tremefecit corpore tellus.
iam vero variae nocturno tempore visae
terribiles formae bellum motusque monebant 5
multaque per terras vates oracla furenti
pectore fundebant tristis minitania casus
19 atque ea, quae lapsu tandem cecidere vetusto,
haec fore perpetuis signis clarisque frequentans
ipse deum genitor caelo terrisque canebat. 10
12 nunc ea, Torquato quae quondam et consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex,
omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
nam pater altitonans stellanti nixus Olympo
ipse suos quondam tumulos ac templa petivit 15
et Capitolinis iniecit sedibus ignis.
tum species ex aere vetus venerataque Nattae
concidit elapsaeque vetusto numine leges
et divom simulacra peremit fulminis ardor.
20 hic silvestris erat Romani nominis altrix 20
Martia, quae parvos Mavortis semine natos
uberibus gravidis vitali rore rigabat;
quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
concidit atque avolsa pedum vestigia liquit.
tum quis non artis scripta ac monumenta volutans 25
voces tristificas chartis promebat Etruscis?
omnes civilem generosa stirpe profectam
volvier in gentem cladem pestemque monebant.